



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Panormitanensi, Montis-Regalis, & Messanensi Archiepiscopis, & Episcopo  
Trojano, regni Siciliae Cancellario, & nobili viro B. de Lucij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

458 Epistolarum Innocentij III.

sanctes Episcopum, scripturam sibi trium nominibus porrexerunt, qua eum tanquam patronum Camaldulensis heremi dicebant esse suspectum, & ne tempore præcipuè messium eos sub suo cogeret examine litigare, sedem apostolicam appellarunt. Sed eis die sequenti reversis, & renuntiantibus non recusationi quam fecerant, sed appellationi duntaxat, Episcopus partibus alium terminum assignavit: in quo dum de recusatione contenderent coram ipso, Potestas Aretin. superveniens, & iudicium illud ad se pertinere proponens, ne in causa procederet interdixit, & ad nostram audientiam appellavit. Nos igitur deliberatione super hoc habita diligenti, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus causam inter prædictum nobilem & fratres Camaldulen. non obstante contradictione vel appellatione cujuscumque audias & decidas, cogens partes per censuram ecclesiasticam &c. Taliter autem Deum habens præ oculis, omni gratia & timore postpositis, in ipsa causa procedas, quod zelum justitiæ videaris habere, nõsque tuæ sollicitudinis studium debeamus meritò commendare. Nullis litteris veritati & justitiæ &c. Datum Laterani IX. Kal. Octobris, pontificatus nostri anno secundo.

*P A N O R M I T A N E N S I,*  
*Montis-Regalis, & Messanensi Archiepiscopo, & Episcopo Trojano, regni Siciliae Cancellario, & nobili viro B. de Lucij.*

*Epist. 187.*  
*Ut de regni bonis alienata restituant.*

**I**N quot & quantis vobis duxerimus deferendum, vos per experientiam operis credimus didicisse, cum licet regni balium nobis fuerit ex inclytæ recordationis C. Imperatricis testamento relictum, vos tamen administrationem ejus ferè totam liberè permiserimus exercere, sperantes quòd & vos ad honorem apostolicæ sedis & nostrum, salutem Regis, & statum regni specialiùs intendere debeatis. Iamdudum autem audivimus quòd vos multa de dominio Regis diversis personis in beneficium assignastis. Propter quod contra vos grave scandalum est subortum, & ad nos etiam per plurium litteras & nuntios & fama publica clamante delatum. Ne autem id de cetero vel ad culpam nobis, vel vobis imputetur ad pœnam, præ-

sertim cum distractiones hujusmodi fieri ad preces vestras litteris curaverimus apostolicis inhibere, discretionem vestram monemus & exhortamur attentius, ac per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus ea quæ minùs utiliter distraxistis, studeatis utiliter revocare, manus vestras de cetero ab hujusmodi compescentes, ne nos, licet invitos, statuere aliud compellatis. Pecuniam autem pro qua dilectum filium M. Campforem nostrum direximus, ei solvere non tardetis: quoniam tam eam quam aliam pro reprimendis regni hostibus, dante Domino, studebimus utiliter erogare. Adhæc, super custodia Regis & regni volumus & mandamus vos efficaciter intendere ac sollicitè vigilare. Datum Laterani V. Kal. Octobris.

*M A G D E B U R G E N S I*  
*Archiepiscopo, & de Burgelim & de Cella sancte Mariæ Abbatibus.*

**E**X conquestione nobilis mulieris A. nobis innotuit quòd cum dilectus filius Dux Bohemiæ illam duxisset legitimè in uxorem, & ipsam viginti annis & amplius velut uxorem legitimam pertractasset, filijs & filiabus ex ea susceptis, eandem suadente humani generis inimico à suo confortio separavit, & Pragen. Episcopus convocato quorundam Prælatorum Concilio in quodam monasterio ad petitionem & mandatum ipsius Ducis, ipsa volente ad eos accedere, ut suas coram eis proponeret rationes, militibus ejusdem Ducis prohibentibus ei bis vel ter ingressum, ex parte illius appellatione ad sedem apostolicam interposita, sententiam inter eos divortij non est veritus promulgare, ac demum ipse Dux quandam aliam, videlicet sororem carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Vngariæ, superduxit. Quoniam igitur hæc salva conscientia præterire non possumus indiscussa, cum secundum Apostolum simus omnibus debitores, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus vocatis ad præsentiam vestram quos propter hoc noveritis esse vocandos, inquiratis diligentius veritatem; & quicquid inveneritis, nobis per litteras vestras intimare minimè differatis, ut ex vestra relatione sufficienter instructi, liberiùs in ipso negotio, prout ad nostrum officium pertinet, procedere valeamus. Nullis litteris &c.

*Epist. 188.*  
*De divortio Ducis Bohemiæ & uxoris ejus.*  
*Vide infra epist. 197.*